



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

28. An Inquisitores possint torquere reos sine data eis copia indiciorum, & nominibus testium? Ex part. 4. tract. 2. res. etiam 28.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

RESOL. XXVII.

An Inquisitores possint torquere reum confessum ad extorquendum complices?

Et notatur non esse torquendos Hæreticos pro complicitibus, nisi cum semiplena probatione, quod socios criminis habent.

Si an depositio socij criminis facta in tortura, ratificanda sit extra illam?

Et an tortura in caput alienum debeat esse moderata pro ratione causæ, & indiciorum? Ex p. 4. tract. 6. Ref. etiam 27.

S. I. Negativam sententiam videtur docere Instructio Tolertana anno 1561. num. 45. ubi sic ait: [Si el reo estauierre negativo dado caso que aya de ser relaxado, podra ser puesto a question de tormento in caput alienum,] ex quibus verbis, ut observat D. Scaucus Cantera cap. 2. de probat. per testes. q. 1. num. 52. videtur colligi à contrario sensu, quod si reus est confessus, & non negativus, non possit poni ad torturam in caput alienum, & ita hanc sententiam docuit Rojas de hæres. part. 2. num. 243. ubi ex dicta instructione firmat, quod qui de se confessus est, in caput alienum non torquetur.

2. Sed his non obstantibus merito hanc sententiam temperat Seraph. Freitas in addit. ad tract. de Confess. folie. quest. 22. num. 28. ubi determinat, quod arbitrio DD. Inquisitorum remittendum est, quando hæreticus de se confessus, sit ex circumstantiis torturæ subijciendus pro complicitibus extorquendis, & absoluit sententiam, quam docet Rojas, reprobat Cantera loco citato; ubi postquam verba dictæ instructionis adduxisset, sic asserit. Glossa cum textu in l. non ideo minus, C. de accusat. probat, quod confessus de se crimen potest compelli ad dicendum de alio, si sint indicia sufficientia, nec video differentiam inter mandatorum & socium, vel alium delinquentem, de quo scit ipse tortus, & hoc vidi praticari in crimine hæresis, de quo loquitur ipsa instructio in supremo Consilio Inquisitionis, & bene. Ita Cantera, qui cum testetur de praxi suprema Consilij, non est curandum de opinione Rojas; adversus quem etiam insurgit Farinacius de hæresi quest. 185. num. 135. ubi sic ait. Verius dicendum est, quod quando adsunt indicia contra hæreticum, quod habeat socios, tunc ut illos revellet, torqueri potest, sive de se ipso neger, sive confiteatur, cum mali reperiantur, qui magis curant complices tegere, quam se ipsos, ut patet ex his, quæ dixi q. 196. num. 17. & sequent. Ita Farinacius. Vnde pro hac sententia habetur decretum Pij V. die 28. Iulij anno 1569. ubi sic statuitur. Pontifex inherendo decretis factis per felicem recordationem Pauli Papæ IV. Sanctiss. Dominus noster Pius V. decrevit omnes, & quoscunque reos convictos, & confessos de hæresi pro ulteriori veritate habendam, & super complicitibus fore torquendos arbitrio judicam. Sic ibi.

3. Notandum est tamen, quod Doctores asserunt non esse torquendos hæreticos pro complicitibus, nisi cum semiplena probatione, quod socios criminis habeant, & ita docet Lessius ubi infra Ludovicus Peguera in praxi cap. 12. §. 5. num. 19. juncto num. 25. Villagut in practico lib. 7. cap. 7. concl. 4. Pitigianus in pract. part. 3. cap. 3. §. alter est, fol. 275. Binsfeldius in comment. de malefic. leg. 7. quest. 1. conclus. 13. Simanca in Cathol. instr. tit. 65. num. 60. & in Enchirid. tit. 52. num. 31. Cantera loco citato, & alij, quos citat, & sequitur Farinac. de hæresi, quest. 185. num. 183. & innuit Instructio Tolertana anno 1561. num. 45. ibi: [Y esta testificado de si,

y de otros complices, &c.] Sed quia supradictum decretum Pij V. loquitur sine præfata limitatione, ideo in praxi Romana & universalis Inquisitionis etiam sine ullo indicio complicum inferretur tortura super complicitibus, quia, ut observat Vmbertus Locatus in praxi Inquisitionis, ver. hæreticus, §. hæreticus convictus, hæresis est delictum tale quod committere sine sociis & complicitibus committi non consuevit.

4. Nota etiam quod Farinacius quest. 43. num. 138. docet, depositionem socij criminis factam in tortura ratificandam esse extra illam, non secus ac factam in tortura super delicto contra se ipsam, & hanc opinionem sequendam esse, & observandam, saltem ad cautelam, tenet etiam Sigismundus Scaccia de indic. lib. 1. cap. 81. n. 9. ver. quinto dubitatur. Sed contrariam sententiam mordicus sustinet Petrus Caballus in respl. crimin. cent. 1. cas. 32. num. 3. & 7. asserens supradictam Farinacij opinionem non esse veram, neque observari.

5. Notandum est tamen hic, quod tortura in caput alienum debet esse moderata pro ratione causæ & indiciorum, & ita ex Iulio Claro docet Lessius lib. 1. c. 29. dub. 16. num. 152. & Becanus in 2. 2. part. 2. num. 3. de instr. & iure, quest. 67. de iniustitia iudicis quest. 10. num. 5. Vnde Maurus Burgius tract. de modo procedendi ex abrupto, cent. 1. quest. 42. num. 19. asserit quod si tortura super complicitibus non sit moderata, sed excessiva, dicitur purgare indicia negotij principalis. Vide etiam Mirandam in ordine indic. tom. 2. quest. 27. art. 20. in fine, & ideo Soufa in aphorism. Inquisit. lib. 2. cap. 19. num. 5. sic ait. Tortura in caput alienum data, moderata esse debet, major tamen, vel minor pro qualitate indiciorum. Ita ille. Et omnia supradicta docet etiam Sebastianus Guazzinus tom. 2. lib. 1. de sens. 30. cap. 9. num. 3. & 6. qui cum Francisco Personali in ord. de indic. num. 9. 10. 11. docet, quod in tali casu unus erit minus torqueri, quam plus, quod etiam tenet Tufchus lit. T. conclus. 2. 4. num. 2. licet ut ipse Guazzinus observat, tortura per mediam horam illata in tali casu diceretur moderate illata. Vide etiam circa hoc Farinacium quest. 40. num. 27. & Iulium Clarum quest. 64.

RESOL. XXVIII.

An Inquisitores possint torquere reos sine data eis copia indiciorum, & nominibus testium? Ex p. 4. tract. 6. Ref. etiam 28.

S. I. **Q**uoad primum respondeo, quod ita torqueri debet reos quidam Inquisitor, ut testatur Navarrus tom. 2. lib. 5. consil. tit. de caus. consil. 8. sed male, per ea, quæ ego fuse adduxi in addit. quinta editionis Lugdunensis meorum operum, resolut. 29. & docet in specie Miranda in ordine indic. tom. 2. §. 26. art. 14. conclus. 1. & Iul. Clar. in praxi §. fin. q. 49. & Deltius in disquisit. magic. append. 2. lib. 5. q. 37. & Villadiego in politis. cap. 3. num. 312.

2. Vnde ait Simanca in Enchirid. tit. 52. num. 8. Copia indiciorum reo danda est cum dilacione ad ea diluenda, & M. Anton. Genuens. in praxi Archiepisc. cap. 68. num. 5. idem asserit, quod etiam docet ex nostris Soufa in Aphor. Inquisit. lib. 2. cap. 39. num. 2. & ideo in nostra Inquisitione Hispanica, ut patet ex instr. Tolertana anno 1561. num. 32. & observat Paramus de origin. Inquisit. lib. 3. quest. 4. num. 53. Inquisitores ipsi propria manu testium publicationes scribunt, ac reo tradunt; nomina verò testium non dantur, & licet in cap. Qualiter, & quando, extra de accusat. statueretur quod

quod non solum dicta, sed etiam nomina testium reo publicanda sint, tamen in causa hæresis hoc non procedit, ut observat ex Simanca Iul. Clar. in praxi 9. 49. & habetur in cap. fin. de hæret. in 6. & Miranda in ord. jud. tom. 2. q. 26. art. 14. concl. 1.

3. Verum circa præsentem quæstionem magnam difficultatem infert supradictus textus, nam ibi circumscripta potentia rei inquisiti, ac cessante periculo testium examinatorum contrarium videtur jure cautum, nam verba textus sic habent. Iubemus tamen quod si accusatoribus, vel deponentibus, propter potentiam personarum, contra quas inquiritur, videant Episcopi, vel Inquisitores grave periculum imminere, si contingat fieri publicatio nominum eorum, ipsorum nomina non publice, sed secreto, omittis aliis, exprimantur, sicque non obstante, quod illis, contra quos hujusmodi deposuerunt, nomina ipsorum non fuerint publicata, adhibeatur ad cognitionem iudicis instruendam plena fides depositionibus testium eorumdem. Ita textus ibi.

4. Ex quo Franc. Personal. in tract. de iudiciis & tortur. post num. 19. nititur probare contra Simancam non valere consuetudinem celandi nomina testium in omnibus casibus, cujus sententia magis videtur comprobari ex Bulla Pauli III. ubi postquam mandavit in coepta indiciorum reis ante torturam tradendis, nomina testium fore exprimenda, subdit postea hæc verba, præterquam in crimine hæresis, juxta juris dispositionem, sed circumscripta potentia Inquisiti, & periculo ipsorum testium ejus mandat, ut patet d. cap. fin. etiam in crimine hæresis publicari nomina testium; ergo cessante periculo, publicanda erunt.

5. His tamen minimè suffragantibus, non est recedendum à communi & accepta praxi, per quam absoluitur omnibus reis in sacro Tribunali non dantur nomina testium, & ita determinavit Congregatio Cardinalium die 14. Maj. 1566. per hæc verba: Illustrissimi Cardinal. Inquisitores Generales in Congregatione ordinaria decreverunt dari nuda testium dicta pro ut eo usque observatum fuit absque nominum publicatione, aliarumque circumstantiarum, propter quas posset devenire ad ipsorum testium notitiam, & quoad responsiones testium super rei interrogatoriis pœter decreverunt non esse dandas, si ex illarum publicatione deveniretur in notitiam, quinam fuerint testes ipsi. Sic ibi. & ideo in instruct. Tolet. anno 1561. n. 39. sic habetur. [Si pidiere el preso traslado, y publicacion de las defensas no se le ha de dar, porque por el podria venir en conocimiento de los testigos que contra el depusieron.] & ita hanc sententiam Molcovius de majestate militantis Ecclesie lib. 1. par. 1. cap. 11. Homobonus de statibus part. 1. cap. 6. Scaccia de iudiciis lib. 1. cap. 87. num. 18. Delcius in disquisit. magic. lib. 5. sect. 15. Zechius in summa tom. 1. tit. de fide cap. 11. n. 14. Rojas singul. 207. Simanca in cathol. instit. tit. 64. n. 26. Gundisalvus de hæret. q. 10. num. 4. Zanchinus de hæret. cap. 9. num. 6. Decianus lib. 5. cap. 35. num. 16. & latissime Barbosa in collect. tom. 3. lib. 5. tit. 2. cap. 20. num. 6. & sequen. & Quevedo lib. de iudiciis & tort. cap. 10. num. 15.

6. Quod verò de non publicandis testium, seu accusantium nominibus dictum est, idem locum habet in quibusdam aliis circumstantiis, ex quibus posset reus devenire in cognitionem testium, vel accusatorum, & ita observat Pegna in annotat. ad Lucernam Inquisit. ver. nomina accusatorum. Genueus in praxi cap. 68. num. 5. & alij. unde in instruct. Hispal. an. 1484. n. 16. sic statuitur. [Quando la probança fuere hecha, y los testigos repregontados deben hazer publicacion de los dichos, y deposiciones callando los nombres y circunstancias por las quales el reo acusado podria ve-

nir en conocimiento de las personas de los testigos.] & in instruct. Tolet. an. 1561. n. 31. [Ratificandolos testigos, laque se en la publicacion a la letra todo lo que tocara al delito, como los testigos depoen quitando della solamente lo que le podria traer en conocimiento de los testigos.] Ex quibus verbis, ut optime observat Pegna in direct. Inquisit. p. 3. comm. 124. videtur arbitrio Inquisitorum relinqui, quales circumstantiæ publicari possunt, quales vero taceri, nam ex quo dicta instructio eas non præscripsit, iudicio Inquisitorum reliquisse videtur.

RESOL. XXIX.

An minores 14. annorum sint ab Inquisitoribus torquendi?

Et quid de pregnantibus, senibus, laborantibus, quartanas, morbo Gallico, &c?

Et an Nobiles sint in S. Officio levius torquendi? Ex p. 4. tract. 6. Ref. etiam 29.

§. 1. Affirmativam sententiam docet Ioseph Sesse Consultor S. Officij, vir quidem doctus, in decis. Regni Aragon. tom. 4. dec. 476. n. 20. ubi sic ait: Minor 14. annorum, licet de jure non torqueatur fallit in læsa majestate divina, & humana, nec pœna in eo minoratur in his criminibus. Ita ille, & novissimè Castus Palaus in opere morali tom. 1. tract. 4. disp. 8. pun. 9. num. 14. & Villadiego in polit. cap. 3. num. 322. & 323. ubi sic ait: [No se puede dar tormento a las personas privilegiadas como son el menor de 14. años y el viejo de 60. &c. si no es en delito de heregia, que en tal caso no ay persona privilegiada, que no pueda ser atormentada.] Ita ille, & pro hac sententia faciunt Doctores, quos citat & sequitur Guazzinus tom. 2. lib. 1. defen. 30. cap. 9. asserentes minores 14. annis in crimine læsæ majestatis torqueri, quod etiam docet Eymericus à Rosbach in tract. crim. tit. 5. cap. 21. num. 10.

2. Sed contrariam sententiam tenet Marc. Anton. Delcius in disquisit. magicis lib. 5. sect. 9. §. quoad personas, ubi sic asserit: Quoad eos qui sunt excepti ratione ætatis, puto si sint minores ætate annorum 14. tantum esse terrendos etiam terrore reali, ut nudando, ligando, & ad ceuleum adducendo, non tamen imponendo: si minores tamen 25. annis ingressu saltem 14. torquendi, sed mitius, quam majores. Hæc Delcius, & ante illum Simanca in cathol. instit. tit. 63. numero 45. & Pegna in direct. Inquisit. part. 3. comm. 110. §. minores vero 20. annis, non bene pro sua sententia citati à Castro Palao, cum aperte asserant minores 14. annorum torqueri non posse, sed terri, ut cum Simanca observat etiam Miranda in ordine judicior. tom. 2. q. 26. art. 13. concl. 7. His tamen non obstantibus aliqui non discedunt à prima sententia, quando sine periculo & moderatè dicti minores 14. annorum torquerentur, & ita tenent DD. quos citat Farinacius q. 42. n. 102. & 133. & Guazzinus tom. 2. lib. 1. defen. 30. cap. 18. num. 4.

3. Illud verò, quod asserit Sesse ubi supra, quod pœna ratione ætatis in minoribus non minoratur, mihi non placet, & ideo Soula in aphor. Inquisit. lib. 3. c. 32. n. 18. sic ait: Minores 25. annis regulariter puniuntur mitius, etiam facti majores, quia non tempus punitionis, sed delicti attenditur, & n. 21. ait: In crimine hæresis si minor rectè pœniteat, mitius punitur; & citat Simancam, Decianum, & alios.

4. Dicendum est igitur cum Suarez de Paz in praxi tom. 1. par. 5. cap. 3. §. 12. n. 50. Sanchez in opusc. tom. 2. lib. 6. cap. 5. dub. 15. num. 12. Miranda in ordine judicior. tom. 2.